Handschrift

Seite 32r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



acceptam valitudinem corporis per tributam sibi sapienciam
mentis · non exercendis virtutibus · Sed perpetrandis peccatis e
laborat · nequaquam suis viribus domum suam · Sed extraneorum
habitacula · i · immundorum sapiam facta multiplicat · nimirum vel
luxuriando vel superbiendo agens · Ut etiam se addito numerus
perditorum crescat · Unde autem dicitur · Et gemas in novissimis quando
consumpseris carnem et corpus tuum · Plerumque accepta salus carnis
per vicia expendit · Sed cum repente subtrahitur · cum molestia
carnis atteritur · cum iam anima egredi viget · diu male habita quasi
ad bene vivendum salus amissa requiritur · Et nunc gemunt homines
quia deo servire noluerunt · quando dampna sue negligencie recu
perare serviendo nequaquam possunt · Unde alibi dicitur · Cum occiderit
eos tunc inquirebant eum · Ut contra amonendi sunt egri ·
Ut eo se filios dei senciant · quo illos discipline flagella casti
gant · Nisi enim correctis hereditatem dure disponerent erudire
eos per molestias non curaret · Hinc namque ad Johannem dominus
per angelum dicit Ego quos amo arguo et castigo · Et rursum
scriptum est · fili mi noli negligere disciplinam domini · neque fati
geris cum ab eo argueris · Quem enim diligit dominus castigat ·
flagellat omnem filium quem recipit · Hinc psalmista ayt ·
Multe tribulaciones iustorum · et de hys omnibus liberavit eos
dominus · Hinc quoque beatus Job in dolore exclamans ayt · Si iustus
fuero non levabo caput saturatus afflictione et miseria ·
Dicendum est egris · Ut celestem patriam suam credant ·
necnon labores in hac vita velud in aliena paciantur · Hinc e
enim quod lapides extramissi sunt · ut in constructione templi
domini absque mallei sonitu ponerentur · quia videlicet nunc foris
per flagella tundimur · Ut intus in templum dei postmodum
sine discipline percussione disponamur · quatenus quicquid in nobis
superfluum est modo percussio resecet · et tunc sola nos in edificatione
concordia caritas liget · Amonendi sunt egri ut considerent
pro percipiendis terrenis hereditatibus quam dura carnales
filios discipline flagella castigent · Que ergo nobis divine
correpcionis pena gravis est · per quam et nunquam amittenda
hereditas percipitur · et semper mansura hereditas et supplicia